







8733.

1721, 7

1.  
45.  
7

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS

JOH. HENRICH

*Meier* / JCTUS.

ELECTORALIS REGIMINIS CONSILIARIUS,  
PROVINCIALIS JUDICII ASSESSOR PRIMARIUS, DE-  
CRETAL. PROF. PUBL. NEC NON UNIVERSITAT.  
ET FACULT. JURID. SENIOR,

L. B. S. & O.

---

---

ERFORDIÆ,

Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.





JOH. HENRICH HO

Onsulentibus olim de jure am-  
biguo qui respondebant, ni-  
mirum Jurisperiti excellentio-  
res, tam in libris Romanæ Ju-  
risprudentiæ, quàm apud  
classicos tum temporis Scriptores absolute  
CONSULTI, vel, cum adjecto, JURIS CON-  
SULTI insigniri solebant. Quidam tamen  
hoc nomen venditantes, scriptis & dictis suis  
produnt hodie, se jura, quæ profitentur, satis non  
callere, neque ritè interpretari posse, quod  
jam suâ ætate prudentissimus rerum, Cicero  
*lib. 1. de LL.* animadvertit, cum inquit: mul-  
ti magna profitentur, in paucis tamen versa-  
ti; etenim alius ille ipse reperit genuinam Ju-  
ris interpretationem, dum ex intimâ Philoso-  
phiâ eandem desumendam revocari existimat.

Plu-



Plura enim nomen JCTi desiderat ; quàm de Jure dubio consulentibus respondere, sed quoque Jura, quorum acquisivit scientiam, per causas veræ Civilis prudentiæ interpretari, atque eadem sic penitiùs cognita ad facta dextrè applicare ; quo demum officium JCTi absolvitur, ne confundatur JCTus cum Jurisperito. Tales Consultationes, quibus occupatos diximus JCTos, priscis temporibus admodum fuerunt frequentes, usu admodum laudabili, cujus vestigia etiamnum in ff. obvia dantur ; sic namque in l. 7. §. 2. ff. de pact. non parùm laudis Aristoni, à se consulto, tribuit Jurisprudentissimus Celsus. Notabile hujus exemplum annotavit JCTus Pomponius de Servio, qui post Marcum Tullium in causis orandis primum obtinuit locum, tamen consultationem habuit cum Q. Mutio, cujus consilium cum parum intellexisset, eundem iterum atque iterum consuluit ; verùm cum ne sic satis consulentem percepisset, objurgatus idcirco à Q. Mutio, tale tulit responsum ignominiosum : *turpe esse Patricio & Nobili, & causas Oranti, jus, in quo versaretur, ignorare.* Hæc veluti contumelià tactus Servius operam dedit Juri Civili, &



in tantum profecit indefesso studio; ut ei post fata  
Statuam potuerit populus Romanus pro Rostris  
*l. 2 §. 43. ff. de Origin. Jur.* Ex hoc exemplo  
disertissimi hujus Oratoris & Jcti liquet, quan-  
ta intercedat conjunctio inter Theoriam & Ju-  
ris Praxin, ut minimè alterutra tutò expediri  
possit abs alterâ, nec magis quis saltem unâ  
Jcti officio defungi valeat, potissimùm, si cum  
laude interesse velit consultationibus; De hisce  
pro Cathedra *ad L. 4. Cod. de temporib. &  
reparationib. appellation.* (quam Glossator vo-  
cat lilium inter spinas, quia ceteræ LL. sub hac  
rubrica parum hodie præbent utilitatis) tracta-  
re fufius & sic quoque de consultationibus tan-  
quam præcipua ejus parte variaque istius vocis  
significatione constituit

*Nobilissimus & Clarissimus Dominus*

**JOANNES GEORGIUS  
REINMANN.**

Consuetudinis autem hîc recordatus Dni Can-  
didati vitæ cursum inferendum, autumo : na-  
rus quippe est Salfeldiæ, anno 1696. d. 29. O-  
ctobris prudentis. Patre, Dn. JOHANNÈ GE-  
ORGIO REINMANNO, Cive & ibidem, Se-  
natore



190

natore ; Matre verò Fœminâ honestati & pietati dedita, MARIA BARBARA, natâ Meznerianâ. A quinto jamdum anno, scholæ Saalfeldensis Præceptoribus in disciplinam traditus est, quos inter Dominorum *Schneierorum*, fratrum bigam, Rectorem & Con-Rectorem, atque B. *Kühlemannum*, Collegam tertium, laude præprimis evehendos ipse censet. Anno ætatis decimo quinto suâsu Patronorum jus-  
sueque Parentum, scholam patriam cum Gymnasio Altenburgensi commutavit; ejus de eotempore Director optimè meritis fuit celebrissimus Dn. D. *Wenzelius*, qui istum convictu, hospitio & informatione frui fecit; quin cum ad habenas Gymnasii Zittaviensis regendas, vocaretur, eundem illuc secutus atque annum integrum inibi commoratus est; hujus exosculatur adhuc Præceptoris desideratissimi doctrinas, & memoriam ejusdem ad tumulum usque venerabitur. Quò tamen reliquorum Dnn. Præceptorum Altenburgensium æquè ac Zittaviensium laudibus, singulis debitis, nihil detrahat, potiùs Dnn. M. *Frisum* & M. *Sternium*, Altenburgi, M. *Mirum* & M. *Pitschmannum* Zittaviæ, ut Viros eruditos, so-



Iertes atque fideles, prædicat semperque prædica-  
bit. Positis ita fundamentis literarum humanio-  
rum, quibus superficies alicujus Facultatis strui  
posset, reliquit scholas, & Leucoream anno  
1714. accessit ibique Themidi sese mancipavit:  
antea verò Dominum Professore*m Strunzum*,  
totam, in cursu, uti loqui amant, Philosophiam  
tradentem, audivit sedulò: deinde ab ore [C]ri  
celeberrimi Dn. D. *Michael. Heinrici Gribneri*,  
tunc Ptof. Jur. Publ. jam Potentissimo Po-  
lon. Regi & El. Sax. ab Aulæ & Justit. consiliis,  
ut & Archivar. intim., pependit, Jus naturæ,  
Institutiones, Pandectas, Jus publicum, & Feu-  
dale principiaque processus, eo Interprete, au-  
divit: nec tamen in eo substitit, sed B. *Struvii*  
Jurisprudentiam Förensem, & Dn. *Menkenii*  
Institutiones Juris communis & Saxonici, pri-  
vatisimè Dn. D. *Joh. Christoph. Wolfius*, Ad-  
vocat<sup>us</sup> & Practicus ibidem exquisitus, ipsi ex-  
planavit. Peractò ita Vitembergæ biennio &  
quod excurrit, almam Fridericianam adiit, ibi-  
que per duos annos duplici vice totam Juris  
periodum, à diversis ductus Doct<sup>oribus</sup> illustri-  
bus, inprimis *Thomasio* & *Ludewigio*, Excel-  
lentissimisq<sup>ue</sup> *Böhmero* & *Ludovici*, absol-  
vit.



vit. In Patriam postea reversus cum animad-  
 verteret, altera quasi manu destitui Jurispru-  
 dentiam, nisi cum Theoriâ, in Academiis hau-  
 stâ, Praxis conjungeretur; Vitembergæ pro  
 Praxi, ut loquuntur, examinatus, Dresdam, Mis-  
 niæ ocellum, & Practicorum Academiam se  
 contulit, ibique in Præfectura Electoratus pri-  
 maria; acta perlustrandi, stylumque forensem  
 videndi, facultatem à Domino *Vokelio*, Poten-  
 tissim. Polon. Regi & El. Sax. à Commissionum  
 consilii & Præfecto impetravit. Commoran-  
 tem ibi Candidatum per aliquod temporis spa-  
 tium repentinus B. Patris obitus domum revo-  
 cavit, ubi brevi post à Serenissimo Principe ac  
 Domino JOHANNE ERNESTO, Duce Sa-  
 xoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium, Angariæ  
 & Westphaliæ, totius Lineæ Ernestinæ Senio-  
 re, Principe & Domino suo longè clementissi-  
 mo, Aulæ & Regiminis Advocatura clemen-  
 tissimè ipsi concessa est. Cum itaque è re sua  
 esse videret, honores & privilegia assumendi  
 Doctorum, Geranam hancce salutavit, decen-  
 terque à Facultate nostra petiit, ut in nume-  
 rum Candidatorum reciperetur. Factum est,  
 & postquam egregiè textus ex utroque Jure as-  
 signa-



signatos elaboraverat, feliciter examen sustinuit, idcirco unanimi Facultatis suffragio non solum in album Candidatorum receptus, verum etiam ad cursoriam Lectionem cathedrariam in *d. L. 4. Cod. de temporib. & repar. appel.* & Inauguralem Disputationem i. Octobr. cur. anni 1721. horis consuetis in Audit. Jurid. Collegii Major. instituendam admissus est. Velint itaque Univerf. Magnif. Dn. Vice-Rector & Universitatis Proceres, nec non Jurisprudentiæ Cultores actus istos solennes suâ præsentia coonestare, uti etiam atque etiam officiosè invitantur, rogantur. Publicatum Erfurti sub Sigill. Facult. Jurid. in Festo S. Archang. Michael. anno à Christ. Nativ. M DCC XXI.





Erftuet, Diss., 1721/22

ULB Halle

3

001 585 339




56

VD18









1921, 7

1.  
158.  
7

LTATIS JURIDICÆ  
DECANUS

I. HENRICH

Meier / JCTUS.

ALIS REGIMINIS CONSILIARIUS,  
ALIS JUDICII ASSESSOR PRIMARIUS, DE-  
PROF. PUBL. NEC NON UNIVERSITAT.  
ET FACULT. JURID. SENIOR,

L. B. S. & O.

ERFORDIÆ,  
pis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

